

*plum Castorum: Effigiantur autem ipsi & filii eorum Anaxis & Mnastinos, unàque cum iis ipsorum matres Hilaria & Phœbe, Dipœni & Scyllidis arte facta, è ligno ebeni. Ipsis etiam equis major pars ex ebeno facta reliqua, exigua quidem, ex ebore.*

Creditum est, hos Castores esse numina navigantibus propitia. Atque an ideoque eò lubentius Centurio nuper naufragus, navi tale insigne gestanti se committit? Et quid ad hanc superstitionem Paulus? Novit ille, se sub meliori numine & tutelâ conyehi, & probabile est, ipsum Centurionem aliquid Christianismi imbibisse, & mirum est, si non ex diutinâ societate Pauli aliqui etiam ex militibus. Sed videtur, non præstò fuisse aliam navim, saltem non aliam, quæ tenderet in Italiam.

VERS. 13. ἤλθομεν εἰς Πυπύολας.

Πόλις ἐμπορίων μέγιστον, χειροποίητας ἔχουσα ὄρμους, Strab. lib. 5. *Urbs emporium maximum, & stationes navium habet manu constructas.* Unde minus mirum, si illic jam Christiani, vel aliundè hæc mercaturam exercentes, vel à mercatoribus aliundè hæc exercentibus Christianismum edocti.

Hujus loci cum hæc historiâ est mentio in

*Echab rabbathi, fol. 81. 2. Rabban Gamaliel, & R. Eliezer ben Azaria, & R. Jósua, & R. Akiba, נכנסין לרומי ἤλθον εἰς τὴν Ῥώμην, id est, iter fecerunt ad Romam (uthic vers. 24. ἤλθομεν εἰς τὴν Ῥώμην, Perreximus versus Romam) ושמעו קול המונה שר מפוטליהוס & audierunt sonitum multitudinis Romæ distantis centum & viginti miliaribus. Inceperunt ergò illi flere; at R. Akiba risit. Cui illi: O Akiba, tene ridere, dum nos flemus? Et ille: Atque occur vos tandem fletis? Respondent illi: Nonne nobis flendum, cum Ethnici hi Idololatæ, Idola sua adorantes, securi sedent & prosperi & quicti, dum interim Templum scabellum pedum Dei nostri fit incendium, & habitatio ferarum? Nonne nobis igitur flendum? Quibus ille: Hujus ergò ego rideo; nam si tam prosperè sit iis, qui Dei iram provocant, multò magis erit iis, qui voluntatem ejus faciunt.*

Recitatur hæc historia in *Maccoth, fol. 24. 1.* ubi pro פוטליהוס, *Puteolus, est פוטליהוס, cum tamen Glossator in locum ex Echab rabbathi*